

qualis etiam in omnis creati entis conce-  
ptu necessariò includitur (eo quòd simili-  
tudinem saltem aliquam cum Creatore  
habeat) mente abstrahimus & communi  
nomine efferimus.

16. Atque hi communes conceptus in  
Dei & Creaturæ rerumque adeo omnium  
similitudine fundati displicere Deo neuti-  
quam possunt, quippe cui placuit similitu-  
do ista. Ne dicam nunc, quòd ipse ille  
quotiescumque cum hominibus loquitur  
non nisi lingua hominum loquatur, etiam  
ea secundùm quæ cum Creaturis non con-  
venit more nostro enunciando.

## EXERCITATIO LXV.

*Demonstrata Dei & Creaturæ similitudine & com-  
muni utriusque conceptu & nominibus, non ta-  
men illico demonstratum esse, abstractam à Deo  
& Creatura scientiam universalem esse tra-  
dendam.*

1. **H**AETENUS dicta eò faciunt, ut  
rerum omnium similitudo &  
convenientia quædam agnoscatur: at si  
quis putet me existimare, illis ipsis fatis  
esse probatum, tradendam esse Ontoso-  
phiam seu universalem, de iis quæ Deo  
Crea-